



Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

De reparatione Ecclesiæ. lxii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

nouo & veteri testamento. Hæc à domino Apostoli acceperunt, & nobis tradiderunt: hæc nos docemus, vobis & omnibus absque reprehensione tenere, & docere, quibus agendum est, mandamus.

De eadem re. Cap. LX.

Ex cōcil.
Laodicēsi
cap. 58.

QUOD non oporteat in domibus oblationes celebrari, ab episcopis vel presbyteris.

De eadem re. Cap. LXI.

Ex cōcil.
Aurelia.
cap. 4.

AVdiuimus quòd quidam laici in domibus propriarum præcipiant presbyteris suis Missas celebrare, & inter canum discursus, & scortorum greges, sanctitatis mysteria polluantur magis quàm consecrentur. Quapropter præcipimus, ut nullus presbyter extra Ecclesiam præsumat Missam cantare, nisi fortè itineris necessitas exposcat, in territorio aut sub dio, in loco nitido, & longè ab omni immundicia remoto, Missas celebrare permittimus, & hoc nullatenus sine tabula consecrata.

De reparatione Ecclesie. Cap. LXII.

Ex epist.
Vigily papa.
pa.

DE fabrica verò cuiuslibet Ecclesie, si dirupta fuerit instauranda, & si in eo loco consecrationis solennitas debeat iterari, in quo sanctuaria non fuerint, nihil indicamus officere, si per eam minima aqua exorcizata iacetur: quia cōsecrationem cuiuslibet Ecclesie, in qua spiritus sancti ara non ponitur, celebritatem tantum sciri esse Missarum. Et ideo si qua sanctorum basilica à fundamentis etiam fuerit innouata, sine aliqua dubitatione, in ea Missarum fuerit celebrata solennitas, totius sanctificationis consecrationis implebitur. Si verò sanctuaria quæ habebat, ablata sunt, rursus eorū repositione, & Missarum solennitate reuerentiam sanctificationis accipiet.

Vt ante horam diei tertiam non sint Missæ celebrandæ. Cap. LXIII.

Ex epist.
Telespho
ri papæ,
cap. 6.

Missarum celebrationes ante horam diei tertiam minime sunt celebrandæ: quia eadem hora & dominus crucifixus, & super apostolos spiritus sanctus descendit, legitur, excepta nocte sanctæ natiuitatis.